Viro Celeberrimo atque Eruditissimo
GOTTLIEB CORTIO
S. P. D.
Arnoldus Drakenborch.

Quamvis literas, quas proxime uberiores ad te dedi, vixdum recipere potueris, nedum certe eas relegendi commodum spatium habueris, attamen temporis minus negotiosi particulam adeptus haud melius eam impendi posse existimavi, quam si, quod nuper verbis professus sum, nunc etiam rebus ipsis praestarem, jucundum inprimis et ex voto mihi accidere, si per literas tecum agendi facultatem captare possim; contra vero, si quando tibi debito officio deesse ~~cogor~~, vel longius respondendi

vices differre cogar, id semper invito et praeter animi sententiam evenire.
Ut tamen molestiam, quam majoris momenti curis occupatus ex
frequenti literarum mearum interpellatione non potes non capere
aliquo modo compensare conarer, his diebus a Celeberrimo Burmanno,
cum Lugdunum rediturus mihi valediceret, impetravi, ut pars
excerptorum Plinianorum, quae ex codicis Medicei collatione describenda
restabat, quamque se absolvisse nunciabat, mea opera ad te
curaretur. Eam, en, his additam vides. Gratulor, Vir Celeberrime,
rem tibi tandem ex voto confectam esse, qua, si per me stetisset, jam diu
potitus fuisset. Spero vero, te uberiores longe, quam tibi proposuisti,
fructus inde percepturum, et brevi Plinium eodem, quo nuper
Sallustius prodiit, ornatu excultum in lucem exiturum: in quo
parando ut strenue pergere velis, etiam atque etiam auctor tibi
sum. Praeter Arntzenium enim, quem Scholae Neomagensis Curatores
nuper Professoris titulo auxerunt, quique Plinii Panegyrico, ubi
Aurelium Victorem edidit, manus admoturus est, nullum apud nos
novi qui Plinio Juniori, multo minus ejus Epistolis, animum
adjecit, ut soli tibi servari scias hoc stadium, in quo sine aemulo
decurrere, tuque excurrere queas. Vellem invenire commodam

occasionem, ut mea opera excerpta codicum Plinij Mstorum, qui in
bibliotheca Lugdunensi servantur, accipere posses, atque similia
subsidia illis, quibus Livio meo partim jam commodasti, partim te
commodaturum promisisti, tibi vicissim sufficere datum foret. Nihil
subterfugerem, modo commodis tuis inservire possem. Lucanus
Oudendorpij jam lucem videt, die Lunae proximo Consulibus
Harlemensibus, quibus dedicatus est, oblatus, ut brevi ad vos nosque
perlatum iri dubium non sit. Quin etiam ex bibliotheca Germanica
nuper didici, tua cura expolitum Lucanum jam publice prostare: quod
si literae, quas a te exspecto, confirment, plurimum gaudebo.
Nuper juvenis haud indoctus, qui olim inter discipulos meos nomen
professus est, ex Anglia huc reversus nunciavit, Doctissimum Josephum
Wasse mihi offerre excerpta, quae ex varijs codicibus Livianis ad
marginem editionis adscripserat, si ea ex re vel usui meo fore existi-
marem. Ego vero, ut prima occasione mittere vellet, etiam atque
etiam deprecatus sum. Mortem Fritschij vestratis editioni Dionis Cassij,
quam Celeberrimus Fabricius adornare inceperat, nullam moram
allaturam spero. Nuper enim Wetstenius narravit, sibi ab heredibus
Fritschij jus historicum hunc edendi oblatum fuisse; ad quod redimen-
dum ego continuo cum Clarissimo Dukero eum incitare omni opera
conati sumus; postea tamen de ea re nihil intelleximus.

62v

Discessu plurimum reverendi Lampii, qui Bremam rediit, vacat apud nos professoris Theologici provincia ad plurimum reverendi Honertium, ecclesiasten Harlemensem, Professoris Theologiae Leidensis filium, qui jam scriptis Belgicis apud nos nomen adeptus est, delata est. Qui se proximo mense huc commigraturum promisit. Rotgersius juris civilis apud Harderovicenses professor, cujus Demonstrationes apodicticae nuper typis descriptae sunt, Groningam vocatus est, ut eandem disciplinam ibidem profiteatur. Ejus munus plures ambiunt, et inter eos Cornelius Sieben, qui Historias, Eloquentiam, et literas Graecas ibidem docet. Abrahamus Wielingius prorector Amstelaedamensis, Jurisprudentiae restitutae editor, clarissimo Heineccio, qui Francofurtum ad Viadrum abiit, a Franequeranis successor designatus est. Wesselingius haud ita pridem in lucem emisit observationum variarum libros duos. Vix tamen credo, per omnia doctis laborem approbaturum. Vide, quaeso, libri secundi cap. ult. ubi in Silio lib. XII. vers. 412. legendum conjicit nec cedet Homero Ascreo famave seni. Haec erant, quae memoria tua haud indigna apud nos geruntur. Sed satis diu te aliis districtum moratus sum. Vale igitur, Vir Celeberrime atque amicissime et Lucium, quem molior, ornare, me vero tui studiosissimum amare perge. Iterum Vale

Dabam Trajecti ad Rhenum a. d. XII. Septembr. anno CIↃIↃCCXXVII.